



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1658

§. 151. Snsceperunt autem Iesum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

exponi: quando Christum cruci affigendum in concilio statuerunt. Et hoc
 mortis genere vilissimo necabantur mancipia, quæ ob flagitia & scelera
 malitari oportebat: publici item latrones ac insigniores piratæ, iam igitur
 Rex Christe factor omnium redemptor & credentium: placate votis (ap-
 plicium te laudibus colentium. Cuius benigna gratia crucis per alma vul-
 nera: virtute solvit ardua, primi parentis vincula: qui es creator siderum,
 tegmen subtili carneum; dignatus hanc vilissimam, pati doloris formulam
 ligatus es, ut solveres mundi ruentis complices: per probra te gens crimina
 quæ mundus auxit plurima, Crucis redemptor ligeris, terram sed omnem
 concutis, tradis potentem spiritum nigrescit omne sæculum. Mox in pater-
 na gloriæ, victor resplendens culmine; cum spiritus munimine defende
 nos rex optime Amen.

§. 151. *Snsciperunt autem Iesum.*

Post latam à Pontio Præside diram sententiam, quæ talis referitur fu-
 isse teste Adricomio, qui ex antiquis ut putant descriptam sententiam in
 descript. Hierosol. n. 19. his verbis proponit. *Iesum Nazarenum subversorem
 gentis, contemptorem Cesaris, & falsum Mesiam (ut maiorum sua gentiorestimo
 probatum est) ducite in communis supplicij locum & cum ludibrio regia Maschati
 in medio duorum latronum cruci affigite.*

CONSIDERA hic anima Christiana, quomodo pronuntiata hæc crudelis
 sententia è tribunali primum rapiatur hæc præda à canibus cum iubilo
 & exultatione, ut laceretur, quisquis enim Iudæorum partem ex ea habere
 voluit in supplicio exequendo, nec ab hæc sententia quieverunt, donec a-
 nima à corpore separata fuerit, imo post mortem lancea latus eius aperire
 voluerunt, ne pars corpus eius intima cor nimirum, illæsa permaneret. O
 crudelitas, à Christi patientia. Volat fama læta sententiæ, sit ex tota urbe
 concursus ignara plebis ad novum illud & miserandum spectaculum adeo
 omnibus a visis, ut hora una in annum. produci videretur, donec viderent
 prædeuntem Iesum. O innocentissime Domine tu te reum facis pro meo
 meo loco tanquam non ego. sed tu peccasses solvis pœnas quæ criminibus
 meis debentur: O charitas inaudita! quis unquam vidit Regem tanto amo-
 re servi sui captum, ut ipse se illius loco substitueret, & ad patibulum duci
 pateretur tanquam suum, non servi esset peccatum. O mea anima noli ma-
 ioribus oneribus gravare salvatorem & Deum per tua peccata, omnia e-
 nim supplicia & cruces tam animorum quam corporum, quæ omnes simul
 mortales ferre possunt nihil sunt præ ijs quæ Dominus tuus ad redimen-
 dum te sustinet.